OBSERVATIONES CRITICAE ET EXEGETICAE AD SILII ITALICI PUNICORUM L. V—X PERTINENTES.

COMMENTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA MONARTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

FRANCISCUS HILFF
GUESTFALUS.

MONASTERII
EX TYPOGRAPHIA IOANNIS BREDT.
MDCCCXCIII.

HENRICO KIKÜM,

PAROCHO ASCHEBERGENSI,

MATRUO CARISSIMO.

D. D. D.

Scriptor.

Blassio, viro doctissimo atque sagacissimo et cum Thilone de Silianis studiis provehendis optime merito, cum iam omnes sperarent, novam poetae editionem ab eo curatam brevi in lucem prodituram esse, praematura morte abrepto, Ludovicus Bauerus impulsu Teubneri inceptum opus absolvere coepit. Prior editionis novae pars, quae libros I—X exhibet, exeunte anno 1890 impressa est, quam volumen, quo libri XI—XVII continentur, praeterito anno secutum est. Propter magnas virtutes, quibus prior pars commendabatur, suo iure Jeepio, iam priusquam alterum volumen publici iuris factum est, in recensenda[1] hac priore operis parte affirmare licebat, nos editionem praestantem et certo codicum fundamento nisam, qua adhuc careremus, adepturos esse. Omnes, qui de priore volumine iudicium fecerunt, Bauero summae laudi vertunt, quod plurimis locis codicum scripturam defendit contra magis speciosas quam necessarias coniecturas virorum doctorum. Praeterea editori concedere debemus, eum pro felici sua divinatione, cuius iam antea in commentatione „Zu Silius Italicus“[2] sagaciter scripta praeclara specimina dederat, haud paucis locis certe corruptis poetae manum reposuisse. Alia editionis virtus in eo consistere mihi videtur, quod Bauerus in diversis librorum lectionibus plerumque maxime verisimilem elegit.

Sed quoniam de virtutibus novae Silii editionis diximus, ea quoque, quae minus placent, commemoranda sunt. Ac pri-

---

[1] Bursians Jahresbericht 1890. Bd. 63. p. 203.

[2] Fleckeisens Jahrbücher 1888, p. 193—224.

mum quidem cum Rossbachio[1] consentio, Bauerum in studio manuscriptorum lectionis retinendae nimium fuisse saepeque lenissimae atque probabilissimae coniecturae codicum scripturam sine dubio depravatam praetulisse. cfr. exemplum a Rossbachio l. l. adnotatum, l. VII, 207 „it monti decus," quod Bauerus rescripsit, quamquam certe „id monti decus" quod iam Modius coniecit et in omnibus reliquis editionibus exstat, legendum est. Eo magis mutationes quaedam probabiles antea in Silii carminibus factae Bauero recipiendae erant, quod interdum non dubitavit, suas ipsius coniecturas etiam tum in verborum conexum inferre, si aut supervacaneae sunt aut alter corrigendi conatus multo praestat, e. g. Bauerus in l. VII v. 516 scripsit „geminis", quamquam „penitus" libris L. O. V. traditum, ut Thilo demonstravit, optime quadrat. Cum igitur ne hac quidem editione ab omni parte intacta atque integra Silii verba reddita sint, Thilo iam paulo post operis vol. I editum adductus est, ut et nonnullos Baueri emendandi conatus gravibus causis nisus respueret, et multis locis, ubi B. librorum lectionem servavit, coniecturam iam ab aliis prolatam novis argumentis fulciret, et alios locos suspectos detegeret simulque sanaret. Haud pari felicitate usus van Veenius in Silio artem criticam exercuisse mihi videtur, in libros I—VIII coniecturarum multitudinem edendo, inter quas nonnullae probabiles quidem, plurimae autem supervacaneae aut nimis violentae sunt. Postremum Rossbachio aliisque viris doctis nonnullas minime aspernandas coniecturas debemus. Sed quamvis omnes hi viri docti de emendando restituendoque Silio poeta bene meriti sint, tamen satis multos locos in Punicorum carmine reperiri, qui adhuc vera medicina egeant, aut nondum recte explicati sint, quicunque unum poematis librum aliquatenus diligenter perlegerit, mecum consentiet. Quare hoc libello aliquot

[1] Deutsche Litteraturzeitung. 1890. p. 1869 sqq.

[2] Fleckeisens Jahrbücher 1891 p. 613—624.

[3] van Veenius, Notulae criticae ad Silium Italicum in „Mnemosyne" XVI, p. 292 XVII, p. 368 seqq. XVIII, p. 300—306, p. 191—199.

duorum illorum generum locos ex libris V—X petitos tractandos suscepi atque spes me tenet, nisi multum tamen aliquid ad pristinam sanitatem restituendam poetaeque verba recte intelligenda me contulisse.

Lib. V v. 4.

Initio libri quinti, quo magno cum ornatu a Silio clarissima atque atrocissima illa pugna ad lacum Trasimennum commissa enarratur, poeta Hannibalem „per alta silentia noctis“ in collibus et silvis Trasimeneo vicinis insidias collocantem facit. Tum versu quarto et duobus, qui sequuntur, lacus eiusque situs ita describitur:

„At parte e laeva, restagnans gurgite vasto,
Effigiem in pelagi lacus humectabat inertis
Et late multo foedabat proxima limo;“

In vocabulo „laeva“ versus quarti consensu omnium codicum firmato plurimi viri docti offenderunt illudque verbum in „dextra“ mutaverunt. Quod quo iure fecerint, priusquam examinemus, duo alii loci ad situm lacus Trasimenni montiumque ei oppositorum pertinentes nobis inspiciendi sunt. Prior locus est versus 824 superioris libri: „Tu laevos propior collis accede, Choaspe“, quibus verbis Hannibal in conspectu lacus, Choaspem legatum, colles, qui ei ad laevam erant, occupare iubet. Altero loco (vv. 95 et 96 huius libri) poeta Corvinum quendam, qui Flaminio, temerario Romanorum consuli, ut diis cedens a consilio Karthaginienses aggrediendi desisteret, persuadere studebat, ita loquentem inducit: „nec laeva stagnantibus undis effugium patet“, quibus verbis dicitur, Romanis lacum Trasimennum laeva parte fuisse. Qui duo loci viris doctis fortissime repugnare videntur lectioni, de qua nobis agendum est „at parte e laeva“ etc. Drakenborchius, cuius iudicium Ernestius et Rupertius suum fecerunt, ad vocem „laeva“ l. V, v. 95 haec adnotat: „Supra in principio huius libri dixerat Silius,

Hannibalem litus Thrasymeni lacus ad laevam habuisse, ad alteram vero partem in montibus insidias posuisse. Non possunt itaque Romani, qui Karthaginiensibus obversi erant, pariter litus et lacum ad laevam habere. Cluv. l. II, Antiq. cap. III, p. 585 scribarum errorem esse putat, et legendum „dextra stagnantibus undis“. Sed idem Silius l. IV, v. 826 ita loquentem Hannibalem inducit: „Tu laevos propior colles accede Choaspe“ Ergo Poenis non litus Thrasymeni, sed colles ad laevam fuerunt: Romanis vero hoc loco Thrasymenus lacus. Quare omnia recte procedent, si servata hoc loco recepta scriptura, supra v. 4 legas: „At parte e dextra restagnans gurgite vasto. Nisi potius ipsius Silii error existimandus sit, qualem et infra notavi lib. IX, 268“.

Qua in Drakenborchii argumentatione nonnulla quidem probanda, sed plura improbanda esse mihi videntur. Recte quidem vir doctus docet, cum v. 824 superioris libri diceretur, colles Poenis ad laevam fuisse, litus Trasimennum Hannibali a laeva parte fuisse non posse, cum Hannibalem frontem vertisse nusquam memoratum sit. Sed forsitan quispiam dixerit: „Nonne ille versus 824 libri superioris vitio laborare potest, ita, ut hoc loco »dextros« et »laevos« mutata sint?“ Sed frustra! Vocabulum enim „laevos“ (v. 824 l. IV) integerrimum esse, liquide patet ex Polybii[1] verbis: „*Ὅ γε μὴν Ἀννίβας ἅμα μὲν εἰς τοὔμπροσθεν ὡς πρὸς τὴν Ῥώμην προῄει διὰ τῆς Τυρρηνίας εὐώνυμον μὲν πόλιν ἔχων τὴν προσαγορευομένην Κορτώνιαν καὶ τὰ ταύτης ὄρη, δεξιὰν δὲ τὴν Ταρσιμένην καλουμένην λίμνην.*“ Minime igitur dubium est, quin lacus Trasimennus Hannibali, cum in itinere esset, ad dextram fuerit.. Sed inde prorsus non cum Drakenborchio iisque, qui ab eo stant, concludi licet, vocem „laeva“ v. 4 in „dextra“ mutandam esse. Equidem alia ratione magisque, ut spes me tenet, apta vocabulum „laeva“ v. 4 explanari posse existimo, quod infra demonstrabo. Ut in exponenda Drakenborchii sententia pergam, vir doctus adstipulantibus Ernestio et Rupertio pro certo affirmat (vide eius argu-

---

[1] Historiae, l. III. cap. 82, paragr. IX.

mentationem), Romanis in vers. 95 lacum Trasimennum ad laevam situm fuisse. Quod si Drakenborchio concedemus, necesse est colligamus, Romanos a meridie contra Hannibalem a septentrionibus progressum profectos esse. Cuius opinionis acer defensor exstitit Schlichteisenus, qui in commentationis [1] suae pag. 112 haec dicit: „Si in versu 95 etiam Romanis aqua ad laevam fuisse dicitur, eos a meridie et orientali litore in planitiem montibus circumclusam illapsos esse putandum erit.“ Sed huic sententiae vehementer obstant Polybius [2] praecipueque Livius, [3] qui rerum scriptores consentientes tradunt, Flaminium consulem Hannibalem, cum hic Romano exercitu circa Arretium relicto, vastans Etruriam peragraret, subsecutum esse. Cum igitur Romani Poenis non obviam irent, sed illos subsequerentur, eos pariter ac Karthaginienses a septentrionibus ad lacum profectos esse manifestum est. Unde qua via Romani progressi sint, ut in Hannibalem inciderent, quo melius perspiciamus, cognoscenda nobis est natura loci lacus Trasimenni, in qua describenda Nissenum [4] sequi mihi liceat. Lacus Trasimennus, undique montibus circumclusus ad septentriones et occasum solis tantum versus (im Nord-Westen), ubi nunc Borghetto sita est, locum apertum praebet. Inde tenuis trames ad orientem versus ducit inter montem, qui nunc Gualandro vocatur, et lacum in campum parvum (*αὐλών* apud Polybium) qui recessu montium litus cingentium fit, ipseque collibus circumdatus est.

Qua ex loci facie clare elucere mihi videtur, Romanis, ut in campum parvum, ubi Hannibal castra posuerat (Liv. XXII, IV, 3), pervenirent, angustam viam, quae inter montes et lacum est, ingrediendam fuisse, id quod Polybius [5] et Li-

---

[1] J. Schlichteisen. De fide historica Silii Italici quaestiones historicae et philologicae, Regimonti Prussorum 1881.

[2] Polybius, historiae III, c. 82/83.

[3] Livius, XXII c. 3. § 6 sqq.

[4] Nissen, „Die Schlacht am trasimenischen See“. Rheinisches Museum tom. XXII, p. 565 sqq.

[5] l. l.

vius [1] quoque et Silius ipse compluribus locis (cfr. l. V, v. 28: „consul carpebat iniquas . . . vias [i. e. angustias]“, v. 42 et 43: „Namque sub angustas artato limite fauces In fraudem ducebat iter“) produnt.

Apparet igitur, Romanos non a meridie et litore ad orientem verso, ut Schlichteisenus aliique putant, sed a septentrionibus et ripa ad occidentem versa planitiem intravisse.

Quare Romanis lacus Trasimennus non ad laevam manum, ut in versu 95 dicitur, sed aeque atque Hannibali, cum in conspectu lacus ducibus suis de instruenda acie mandata daret, ad dextram partem situs erat. Vocabulum „laeva“ igitur (vers. 95) mendosum statuendum est. Idem cum iam Cluverus, Lefeburius, Bothius opinarentur, non memorantes causas, quibus suspicio iis movebatur, loco medicinam adhibere conati sunt. Cluverus „laeva“ scribarum culpa ortum et „dextra“ legendum putavit. Sed haec medela nimis audax atque violenta esse mihi videtur, cum, quomodo factum sit, ut genuina scriptura „dextra“ librariorum errore in „laeva“, mutaretur, vix cogitari possit. Bothius Lefeburium secutus pro „laeva“ una littera adiecta „laevam“ scribi et post verba „stagnantibus undis“ comma poni vult, ut verba ita legantur: „nec laevam stagnantibus undis (sc. dextra), Effugium patet“. Germanice haec verba ita vertit: „Hier fluthet der See; zur Linken versperrt ist alle Flucht.“ Hunc sensum per se quidem aptum in illis verbis inesse praefracte nego neque fas esse arbitror, tam obscurum loquendi genus poetae tribuere. Quare hoc quoque corrigendi propositum damnandum esse censeo. Meo qualicunque iudicio hic locus prorsus non ita sanari potest, ut non simul poetae verba turbentur. Silio enim hoc loco aliquid humani accidisse opinor, ut in similem errorem in lib. IX v. 268 seqq. eum incidisse recte Drakenborchius et Ernestius opinione augurantur. Poetam autem putasse, Romanos a meridie in convallem pervenisse, quod revera factum non esse satis compro-

---

[1] lib. XXII. c. IV. § 4.

basse mihi videor, ob eam causam colligere vetamur, quod multis indiciis clare demonstratur, Silium in tota hac re describenda ad Livium accurate se applicasse. Equidem illum errorem poetae momento ipso scribendi, ut ita dicam, obrepsisse existimem.

Iam redeamus ad locum v. 4 „at parte e laeva", unde profecti sumus. Restat, ut Schlichteiseni interpretandi rationem, cui Bauerus favet, commemoremus. Haec sunt eius verba: „Tantum abest, ut quod colles IV, 824 laevi dicti sunt, hoc cum loco nostro pugnet, ut, si e. g. Hannibalem a meridie collium septentrionem versus lacui oppositorum et occidentali litore in angustias penetrasse, deinde autem fronte versa consedisse posuerimus, iidem colles, quos ante ad sinistram manum Poeni habuerint, ad dextram, lacus vero ad laevam siti sint." Cui explicationi adstipulari non cunctarer, si Hannibalem revera frontem vertisse a poeta dictum esset. Quare ego aliter rem expedire studeo. Puto enim vocabulum „laeva" dictum esse ex prospectu Silii, cui sane, cum Romanus a meridie totam regionem spectaret, lacus laeva, colles dextra parte siti erant. Aliter quidem res se habet in duobus aliis, quos iam saepius attuli, locis. (v. 824 l. IV, et v. 95 l. V) Ibi enim personae a poeta loquentes inducuntur, ut illae locorum significationes ex eorum tantum prospectu intelligendae sint, cum in versu 4 poeta ipse lacus Trasimeni vicinaeque regionis faciem describat.

Lib. V, v. 63 seqq.

In enumerandis prodigiis, quae ante proelium ad lacum Trasimennum factum observata esse Silius narrat, hoc quoque omen commemoratur:

„Nec rauco taurus cessavit flebile ad aras
Immugire sono, pressamque ad colla bipennem
Incerta cervice ferens altaria liquit."

---

[1] l. l. p. 112.

Sic versus exstant in omnibus libris scriptis atque impressis. — In verbis „incerta cervice“ explicandis viri docti in varias sententias abierunt, quarum prorsus nullam probandam esse censuerim. Rupertius in editione sua ad hunc locum haec annotat: „vulnere non certo et letali accepto.“ Sane id poeta significare vult, sed quid est „incerta cervix?“ Vox „incerta“ tali ratione minime explicari posse mihi videtur. Audiamus, quid dicat Ernestius de hoc loco: „saucius ex bipenni non satis certo ictu depressa. Sed poeta rerum ordinem invertit. Nam proprie non cervix, sed bipennis incerta est.“ Ernestius igitur illam loquendi formam figuram, quam Graeci vocant „ἐναλλαγή“ esse putat. Sed talem sermonem poeticum nimis audacem neque perferendum esse existimo „bipennem incerta ferens“ pro „bipennem incertam cervice ferens.“ Postulatur enim, ut haec poetica loquendi forma adhiberi possit, ut adiectivum ad substantivum, quocum coniunctum est, aliquatenus quidem quadret. cfr. e. g. Lucret. 119 „per gentes Italas hominum etc.“ et Val. Fl. I, 109; tela puer facilesque umeris gaudentibus arcus, gestat Hylas“ quae duo exempla quam dissimilia sint, de quo hic agitur loco, facile est intellectu. Klotzius in lexico suo mirum in modum verba „incerta cervice“ interpretatur: „Der Hals wo die Stelle der Wunde nicht feststeht.“ Hoc quid sit omnino intelligi non potest. Ego proponam aliam explanandi rationem. Ut enim hic vox „incerta“ securis substantivo sensu activo apposita significat bipennem, quae vulnere non certo neque letali afficit (cfr. Verg. Aen. II, 224; alia huius vocabuli „incertus“ vel „certus“ significationis exempla habes in Sil V, 297, Ov. Metam. V, 382, Ov. ex Ponto IV, 4, 31.) quod est nostrum „Das Beil, welches nicht sicher trifft,“ ita eodem modo adiectivum „incertus“ etiam passive explicari posse puto, ut indicetur „cervix, quae non certo atque letali vulnere affecta est“ germanice: „Der nicht sicher, nicht tötlich getroffene Nacken.“ Plurima autem adiectiva, quae proprie activam habeant vim, saepe a poetis passive poni notum est. Quantopere Silio ipsi hic usus arriserit, clare apparet ex exemplorum serie, quam

Rupertius in appendicis suae pag. 175 congessit. Legamus — ut nonnulla afferam — in Sil. II, v. 99 „ictus incautus" i. e. qui non cavetur, VI, 75 „surda" sc. fama i. e. quae non auditur, multis locis „caecus" i. e. qui non videtur IV, 471 „belligeris campis" i. e. campis, in quibus bellum geritur. Fateor quidem, laudatos locos excepto „belligeris campis" ad adiectivi „incerta" vim passivam comprobandam non plane quadrare, cum etiam alibi illa adiectiva passive sumpta inveniantur, sed quidni Silius, ut primus „belliger" (nusquam alibi „belliger" passiva notione praeditum mihi occurrit) passive adhibuit, ita in adiectivo „incerta", quod vulgo passivam notionem habet, etiam in hac verborum cohaerentia eadem poetica libertate usus sit? Quam interpretationem si sequeris, coniectura van Veenii una littera addita „incertam" sc. bipennem scribentis, quod mihi quoque primo in mentem venit, supervacanea est.

Lib. V, v. 96.

Codicum scripturam secuti editores hunc locum ita praebent:

„. . . . . . et tenui stant tramite fauces."

Corvinus quidam Flaminium consulem nimia dimicandi cupiditate ardentem a consilio Hannibalis aggrediendi arcere studet, difficultates enumerans, quae obstant: hostes, nemorosa iuga, stagnantes undae, fauces. Has Corvinus eis, quae supra attuli, verbis commemorat. Vocabulum „stant" hoc loco poetae manu scriptum esse, vix putari potest. Vox „stare" suo quidem iure usurpari potest de montibus (cfr. I, 546: „clausae starent Alpes"), sed quomodo fauces „stare" i. e. eminere possint, non intelligo. Pro „stare" exspectaveris potius, quod contrarium est, „iacere" aut „sedere." Haec enim verba de planis locis et vallibus, quibus fauces adnumerandae sunt, dici solent, cfr. Ovid. fast. II, 392: „quaeque iacent, valles, maxima Circe tuae."

Porro, ne „stant" genuinam esse lectionem existimemus, etiam ea admonemur re, quod ablativus: „tenui . . . . tramite"

non satis commode explicari potest. Quibus rebus bene ponderatis equidem cum Heinsio ad coniecturam confugiendum esse iudico eiusque propositum „instant," quod omnes excepto Rupertio silentio obruunt, in verborum seriem recipere non dubito. Tum vocabulum „instant" optime convenit verbis praecedentibus et ablativus „tenui . . . tramite" est ablativus causae, ut germanice interpretandum sit: „Schluchten drohen durch ihren engen Pfad, sie sind drohend, gefahrvoll wegen des engen Weges."

Lib. V, v. 192 seqq.

Simulatque Romani lacu Trasimenno, oppositis collibus copiisque Karthaginiensium circumclusi sunt, Hannibal suis militibus signum invadendi dedit, quo audito:

„. . . . . latebrosis collibus Astur
Et Libys et torta Baliaris saevus habena
Erumpunt multusque Maces, Garamasque Nomasque;"

In voce „Libys" v. 193 neminem, quod equidem sciam, haesisse, magnopere miror. Cum enim poeta in iis, quos pugnam committentes facit, primum definite duas Hispaniae gentes, Astures et Baliares, tum Macas, Garamantes Nomadesque, tres Africae nationes, commemoret, vocabulum „Libys", quod apud Silium in universum tantum usurpatur ad significandos omnes Karthaginienses [1] et plerumque opponitur Hiberis aut Gallis aut Romanis (cfr. Sil. I, 656/57. IV, 5697/0, XVI, 106) de quo agimus, loco parum quadrare mihi videtur. Mea sententia concinnitatis causa pro „Libys" nomen Hispaniae gentis desideratur. Quam ob rem „Libys" corruptum esse puto, praesertim cum scribarum ignorantia atque stupiditate frequenter nomina propria, praecipue minus nota cum usitatioribus commutata sint. Forte Silius pro „et Libys" scripsit „Saetabus" (vel „Setabus") — quod non nimis abest a tradita lectione — ut significaretur

[1] Vide indicem nominum, quem Bauerus tomo II editionis adiecit sub voce „Libys."

incola Saetabis, urbis Hispaniae prope Sucronem flumen sitae, quae in libri III vv. 373, 374 (in catalogo Hannibalis copiarum) et l. XVI, v. 474, dicta est. De vocabuli forma cfr. Cat. XII, 14: „sudaria Saetaba".

Lib. V, v. 410 seqq.

„Nec Bagaso exultare daturve impune relictum,
Consulis ante oculos vita spoliasse Libonem."

In priore versu tradendo libri et manu et typis descripti inter se dissentiunt. Ac primum quidem, quae in codicibus leguntur, videamus. Scriptum est in Coloniensi testante Heinsio „daturve", in cod. Laurentiano et c. Florentino „datur ve", in duobus aliis Sangallensis apographis (libris O. et V.) „datur ne". Sed neutra harum lectionum me judice ab omni parte satisfacit. Scripturam praestantissimorum librorum „daturve" soli, nisi fallor, servare student Bothius et Bauerus. Hic[1] illam locutionem his verbis explicasse sibi videtur: „Es ist die Ausdrucksweise als ein verkürzter Chiasmus zu betrachten für »nec Bagaso exultare datur daturve impune relictum«. Obwohl mir die Verbindung: „datur impune relictum" etwas hart erscheint, möchte ich doch die Beibehaltung der handschriftlichen Lesart der Konjektur von Heinsius (datum atque) vorziehen." Quam Baueri interpretationem plane spernendam esse censeo, cum tale genus dicendi, quale est „datur impune relictum", non solum aliquatenus durum, ut interpres ipse concedit, sed minime perferendum esse mihi videatur. Praeterea aegre mea sententia nonnulla alia exempla desideras, quibus illa loquendi forma, quam Bauero contractum chiasmum appellare libet, fulciatur. Sane tales loci non prorsus desunt (cfr. Hor. sat. II, 3, 180 „uter aedilis fueritve praetor" pro: uter aedilis fuerit fueritve praetor, II, 3, 130; 3, 139; Verg. Aen. XII, 904) sed similia in Silii carmi-

[1] Fleckeisens Jahrbücher, 1888 p. 203/4.

nibus me legere non memini. Nimis autem libere Bothius locum interpretatur:

„Bagasus auch darf nicht frohlocken darob, vor des Konsuls Augen dich ungestraft erwürgt zu haben, o Libo!"

Sed ego plurimos viros doctos secutus, quomodo „daturve" satis bene explicari possit, prorsus non video, nisi forte existimas, particulam „ve" audacissime a poeta verbo „datur" adscriptam esse, cum in pedestri sermone cum vocabulo „relictum", aut „impune" coniungendum fuerit, ut sit dictum pro eo, quod est, „nec Bag. ex. datur relictumve impune est". Sed quominus ita locum expediam, impedior, quod neque apud Silium neque apud quemquam ceterorum scriptorum Romanorum tale inusitatae collocationis exemplum mihi occurrisse reminiscor. Aeque ac Coloniensis scriptura in hoc verborum conexu displicet „datur ne" lib. Oxoniensi et Vaticano praebitum, quod praeeunte Lefeburio Rupertius teneri vult, coniunctionem „ne" aut pro „ne — quidem", aut pro „nedum" accipiens. Si „ne" pro „nedum" positum esse putamus — qui particulae usus nonnullis locis sane confirmatur (cfr. exempla a Rupertio in huius loci annotatione laudata) — et cum verbis „consulis ante oculos", ut Rupertius vult, iungimus, sensus verborum hic est: „Bagaso exultare non licet, nedum impune ei relinquatur, ante consulis oculos Libonem interfecisse, „quae summa" ut interpretis verbis utar, „Bagasi audacia erat et digna, quae puniretur". Quam explanandi rationem iam Bauerum l. l. respuisse video ita dicentem: „Gegen diese Auffassung ist einzuwenden, dass sie ein unrichtiges Verhältnis zwischen die beiden Ausdrücke »exultare datur« und »impune relictum« hineinlegt; der zweite enthält nicht, wie es nach Rupertis Erklärung der Fall wäre, eine Steigerung des ersten, sondern steht mit demselben auf ganz gleicher Stufe."

Propter similem causam alter Rupertii explicandi modus (ne — ne-quidem) improbandus est. Jam adeamus ad varias coniecturas emendandi gratia a viris doctis prolatas. Gronovius scribendum proposuit „diuve impune relictum." Sed quomodo versum explicem, ut ab aliqua parte sanus sensus exsistat,

minime intelligo. Neque magis verisimilis mihi videtur Heinsii coniectura „datum atque," quam Drakenborchius et Ernestius verborum conexui inseruerunt. Barthius loco mederi studebat, particula „ve" aut „ne" deleta scribens: „Nec Bagaso exultare datur, impune relictum Consulis . . . . ." „Exultare enim volebat Bagasus — haec sunt Barthii verba — impune sibi eam caedem relictam esse." Qua corrigendi via integram sententiam effici negari nequit, sed poetam non ita scripsisse luce clarius est. Versus enim laborat vitio metrico, cum syllaba „tur" in quarto versus pede eiecta particula „ve" aut „ne" arsis effici non possit. Accedit, quod, si a poeta „datur" omissa vocula „ve" aut „ne" scriptum esse arbitramur, quomodo molestissimae illae particulae in libros irrepere potuerint, minime cogitari potest. — Ego Barthii emendandi via adductus poetae verba restitui puto scribendo „datum est", ut omnia, quae sequuntur (impune relictum . . . . Libonem) ex verbo „exultare"[1] pendeant. Mea enim opinione „datum est" in antiquo codice ita exaratum erat: datumē. Si socordia librarii linea super „e" scripta omissa erat, sequens librarius totius versus sensum non satis diligenter respiciens facile pellici poterat, ut „daturve" legeret et in exemplari suo scriberet, unde hoc vitium in omnes codices transiit. Sensum loci, qui coniectura mea fit, iam supra in Barthii emendandi conatu afferendo explicavi.

Lib. V, v. 548.

„. . . . . quem poplite caeso
Dum spoliat, gravis immiti cum turbine costas
Fraxinus irrupit; . . . ."

Pro „spoliat" in libris traditos omnes praeter Bauerum editores voce „tibi" v. 544 et secunda persona „tentas" v. 546

[1] De constructione „exultare" verbi cum infinitivo cfr.: J. Schmidt, De usu infinitivi apud Lucanum, Valerium Flaccum, Silium Italicum. Diss. Halii Saxonum 1881 (p. 112 seqq.). J. Schinkel, Quaestiones Silianae, Diss. Lps. 1884 (p. 56 seqq.)

ducti „spolias“ scripserunt. Sed „spoliat“ retinendum esse, clare perspicimus ex Sil. IV, 235 seqq., ubi plane eandem personarum varietatem codices testantur: „Occidit et tristi, pugnax Lepontice, fato; Nam dum frena ferox obiecto corpore prensat. Atque aequat . . . .“ Quibus duobus locis causa personarum permutationis est, quod a vocabulo „quem“ et v. „nam“ nova sententia incipit.

Lib. VI, vv. 106—109.

„ . . . . Amisimus Alpes,
Nec deinde adversis modus est. Ticinus, et ater
Stragibus Eridanus, tuque insignite trophaeis
Sidoniis Trebia, et tellus lacrimabilis Arni.“

Haec sunt verba Serrani, Reguli filii, magnam calamitatem, qua Romani ex Hannibalis in Italiam adventu affecti erant, vehementer lamentantis. In omnibus, quas inspexi, editionibus, hi versus ita, ut supra feci, interpunguntur, praeterquam quod apud Bauerum post verba: „nec deinde adversis modus est“ semicolon positum et comma post „Ticinus“ omissum est. Sed quomodo, si ita distinguis, enuntiatum: „Ticinus . . . . tellus lacrimabilis Arni,“ satis commode explicari possit, equidem prorsus non video. Quam ob rem neque Ernestium neque Rupertium hunc locum interpretatione dignum existimasse, ut qua ratione ipsi versus explanari velint, cognoscatur, magnopere doleo. Sed audiamus, quomodo Bothius hos versus in vernaculam linguam transferat:

„ . . . . Schwarz wogt der Ticinus
Sammt dem Padus von Leichen; der Trebia ward mit Karthagos
Siegeszeichen geschmückt, und traurige Fluren des Arnus.“

Quae Bothii interpretatio, quam perversa sit, cum minime verbis latinis respondeat, haud difficile est intellectu. — Lenissima, meo iudicio, opera difficultates, quibus nunc in explicandis

illis verbis occurrimus, removentur, si aut pro puncto post „Arni“ signum interruptae orationis ponitur, aut interpunctio post verba „nec deinde adversis modus est“ deletur. Si priorem emendandi viam ingredimur, verba „Ticinus“ usque ad „Arni“ figura, quam Graeci „ἀποσιώπησις“ dicunt, intelligenda sunt, ut mente cogitetur tale, quale est: calamitatem nostram testantur aut simile quid. Si altera neque minus simplici medendi ratione usi interpunctionem post verba „nec .... modus est“ tollimus, ut Ticinus et quae sequuntur usque ad „Arni“ cum antecedentibus verbis coalescant in unum enuntiatum, cuius subiecta sunt: Ticinus, Eridanus, tu(que) sc. Trebia, tellus Arni, praedicatum „modus est“, totus locus ita vertendus est: „Wir haben verloren die Alpen und nicht ist fernerhin ein Ziel im Unglück der Ticin und der von Blut gefärbte Eridanus und du, Trebia, ausgezeichnet durch die Sidonischen Siegeszeichen und du bejammernswerthe Flur des Arnus.“

Haec sententia quamquam sana atque toti verborum conexui satis apta videtur, tamen priorem a me prolatam mutationem multo praetulerim, quod abruptum loquendi genus irae querelisque Serrani, Italiae ruinam deplorantis, non solum bene convenit, sed etiam totum sermonem vividiorem atque efficaciorem efficit. Alia reticentiae figurae exempla habes in Sil. VII, 248; IX, 55; X, 288 aliisque locis.

Lib. VI, 140 seqq.

Marus, Reguli armiger, eius filio Serrano narraturus, quomodo pater monstrosum serpentem in Africa ad Bagradam flumen interfecerit, incipit his verbis:

„Turbidus arentis lento pede sulcat harenas
Bagrada, non ullo Libycis in finibus amne
Victus limosas extendere latius undas
Et stagnante vado patulos involvere campos.
Hic studio laticum, quorum est haud prodiga tellus,
Per ripas laeti saevis consedimus arvis.“

Librorum scripturam „saevis“ viri docti duplici modo explicare studuerunt, quorum neuter ab omni parte mihi placet. Plerumque arva ob eam causam „saeva“ a poeta dicta esse censentur, quod saevus anguis in antro vicino morabatur. „Saepe enim, ut Ernestii verbis utar, ex eventu talia epitheta formari poetis solent.“ Recte quidem! Sed tamen illam explicationem non plane probaverim, cum de serpente adhuc nullo modo sermo fuerit, sed in versu 151 demum eius mentio fiat. Neque in magna exemplorum Drakenb. laudatorum serie ullum invenitur, quod cum „saevis arvis“, si „saevis“ propter terribilem draconem dictum esse existimamus, audacia insonlentiaque conferri possit. E. g. Ernestius laudat S. VIII, 622 „Ut ventum ad Cannas, urbis vestigia priscae Defigunt diro signa infelicia vallo.“ Sed quis est, quin intelligat, quantum dissimilis sit verbis de quibus hic ambigitur is locus, qui spectat ad foedissimum illum pugnae Cannensis exitum, quae res omnibus carminis lectoribus satis nota est? Neque aptius Rupertius confert. v. 153 verba „letalis ripa“; recte enim hic ripa „letalis“ dici potest, quod iam proxime praegredientibus verbis „monstrum exitiabile et ira telluris genitum etc.“ anguis horridus comme-moratus est. — Jam videamus alteram, qua Ernestius usus est, interpretandi rationem. Vir doctus enim vocabulum „saevis“ de nimia siccitate et periculosa fontium penuria accipi vult. Quae explicatio bene se haberet, si illa arva plane aqua egerent. Sed cum Bagrada flumen, cuius magnitudo vv. 141—143 exprimitur, totam regionem perflueret, vocabulum „saevis“ de siccitate arvorum parum apte dictum esse videtur. Jam, quomodo ipse de voce „saevis“ sentiam, non diutius tacebo. Primo „saevis“ ut Heinsio et van Veenio ita mihi quoque corruptelae suspicionem movit et „siccis“ rescribendum esse opinabar. Sed nunc nihil mutare optimum videtur. Vocabulum „saevis“ enim, quid significet, versibus proxime sequentibus, quibus vicinum ob varias causas terribile nemus describitur, planius definiri mihi videtur. Quare in nonnullis antiquioribus editionibus post „arvis“ recte colon positum est.

Lib. VI, v. 185 seqq.

Poeta, postquam vv. 181—184 angues Gigantum, hydram Lernaeam, serpentem Hesperidum hortos custodientem memoravit, ut immanem magnitudinem draconis ad Bagradam flumen morantis describeret, hisce verbis pergit:

„Tantus disiecta tellure sub astra coruscum
Extulit assurgens caput . . . .“

In codicum lectione „disiecta“ omnes fere interpretes haesisse et ad coniecturas confugisse video, sed, ut equidem arbitror, falso. Heinsius pro „disiecta“ poetam „despecta“ scripsisse opinabatur, quod propositum valde arrisit Drakenborchio, hanc locutionem multis exemplis illustranti. Sed frustra! Iam Schmidius Heinsii coniecturam respuit, „cum non appareat, quomodo dici possit: »extulit caput,« si praecesserit »despecta tellure« et ratio poscat, ut dictum sit: „extulit caput et despexit terram sc. iam elatus s. erectus.“ Lefeburius legendum proposuit „disiuncta,“ quod vocabulum in Telleriano codice, qui inter deteriores libros locum obtinet, scriptum invenit. Quod quomodo apte interpreter, me nescire libenter fateor. Neque quod Thilo coniecit „ab infecta,“ quod collatis Verg. Georg. II, 128 et Claud. in Ruf. I, 301 pro „venenata“ usurpatum esse putat, assensu dignum esse mihi videtur. Nam praeterquam quod discrepantia scripturae traditae et coniecturae haud ita levis est, non ab omni parte bona sententia evadit. Quid multa? Meo iudicio nihil in tradita lectione mutari licet, cum haec optimum sensum exhibeat. Quem ut recte evolvamus, inspiciendi nobis sunt vv. 176—180, quibus Marus narrat, cum sociis comitantibus nemus, ubi horridus serpens in antro versabatur, intrasset, „e vestibulo“ antri tartareum turbinem erupisse, resonuisse solum, tellurem motam manesque procedere visos esse. Verba autem „antrum ruere“ — infinitivum „ruere“ ut „resonare“ et „moveri“ equidem cum Lefeburio propter vivi-

dum sermonem, quo illo loco poeta utitur, infinitivum historicum intelligam — eo tantum modo explanari possunt, ut statuamus, terrae molem, quae antrum operiret (cfr. v. 150 „sub terras specus“) corruisse et anguem, qui in antro esset, obruisse. Quibus expositis, quam apte de serpente „disiecta tellure“ dictum et quam bene verba „disiecta“ et „extulit“ a poeta adhibita sint, facile cognosci confido.

Lib. VI, v. 372.

„Accessi comes, haud ipso renuente, ratique
Impositus maestis socium me casibus addo.“

Depromptus est locus ex Mari narratione de Regulo a Poenis de pace facienda Romam misso.

Duo meliores Sangallensis apographi L. et F. „maestus“ exhibent, cum in Oxoniensi et Vaticano „maestis“ legatur, quae scriptura ab omnibus excepto Bauero editoribus, quippe qui praestantioribus libris non usi sint, in verborum seriem recepta est. Bauerus primus „maestus“ reposuit, sed num recte, valde dubito. Vocabulum „maestus“ de Maro usurpatum non omni quidem sensu caret, cum hic maestus esse posset propter duram Reguli, domini sui, sortem, sed multo praestare mihi videtur, „maestis“ scribere. Quomodo „maestis casibus“ accipiendum sit, sequens versus clare ostendit. Syllabae „us“ et „is“ etiam alibi incuria scribarum permixtae sunt. Idem vitium, quo optimi codices hoc loco laborare mihi videntur, III, 504 quoque a librariis commissum est. Ibi enim consentientes libri „maestus“ tradunt, cum totus verborum conexus „maestis“, quod Schraderus et L. Müllerus restituerunt, postulet. Denique ad commendandum „maestis,“ de quo agimus, loco, nisi magni tamen alicuius momenti est, quod eadem fere tota loquendi forma in l. V, v. 237 invenitur: „et socium duris se casibus addit.“

Lib. VI, vv. 400—402.

Nave, qua Karthaginiensium legati cum Regulo Romam vehebantur, ad urbem appulsa, Regulus, postquam in patriam ripam egressus est,

„. . . . cingente superba
Poenorum turba, captivoque agmine saeptus
Ibat et invidiam coelo divisque ferebat.“

Quomodo verba „captivoque agmine saeptus“ accipienda sint, luce clarius est; intelligas enim necesse praeter Regulum primo bello Punico in Africa a Karthaginiensibus captos Romanos, de quibus commutandis legatio illa Poenorum Romam missa est. Hos autem captivos statim cum legatis Reguloque iis adiuncto Romam profectos esse, nullus rerum scriptor tradidit, sed omnes consentientes nihil aliud narrant, nisi Karthaginienses legatos Romam misisse, ut de pace facienda et si haec reiiceretur de commutandis captivis agerent, et huic legationi, ne irrita esset, Regulum addidisse. Si igitur Silius reliquos Romanos captivos simul cum legatis Reguloque navi Romam vehentes facit, poetam fidem historiae non nimis severe observasse censendum est. Qua in parva narrationis Silii et rerum scriptorum discrepantia haerendum non esse verbaque „captivoque agmine“ suo iure a poeta usurpata esse, quispiam iudicaverit. Sed cave fallas! Quisquis aliquatenus diligenter totam narrationem de legatione Karthaginiensium libro sexto insertam perlegerit, in complures locos incidet, qui lectioni codicum „captivoque agmine saeptus“ prorsus repugnant, cum omnibus his locis de Regulo solo redimendo, non de reliquis captivis commutandis sermo sit. Accedit quod, quamquam saepe in copiosa narratione apta occasio offertur, reliquorum captivorum nusquam mentio fit, praeter Marum, armigerum Reguli, quem sua sponte dominum suum secutum esse vv. 372/73 (cfr. quoque v. 129) clare indicare mihi videntur. Iam accuratius inspiciamus hos locos, quos verbis, de

quibus hic ambigitur, valde repugnare contendo. Primum commemoro vv. 346—349, qui exhibent mandata, ad quae conficienda Regulus cum legatis Poenorum Romam missus est. Secundum hanc Silii narrationem (cfr. imprimis v. 349) Karthaginienses Regulum solum cum Poenis captivis rependere i. e. permutare volebant. Levioris momenti est v. 389, quo dicitur, cum navis, qua legatio Karthaginiensium Regulusque veheretur, Romam appulsa esset, totam civitatem Romanam captivo i. e. Regulo, non captivis obviam ivisse. Plurimum opinionem meam adiuvari puto vv. 479—481:

„At non Carthago, fraudum domus, inscia quantum
E nobis restet, iuvenes parat, aspere ferro
Pectora, captivos nostra pensare senecta."

quibus dictis Regulus in contione Romanorum in curia habita captivorum Poenorum permutationem vehementer dissuadet. Sensum horum versuum Ernestius apte ita declarat: „Carthago, quae non ignorat, quam exiguae meae sint vires, callide captivos suos, vegetos ad bellum iuvenes, mecum homine sene et decrepito, permutari cupit." Quae Reguli verba omni sensu carerent, si praeter Regulum alii Romani captivi commutandi causa Romam missi essent. Quid plura! Tribus, quos modo attuli, locis satis bene consideratis collatisque cum verbis „captivoque agmine" mihi quidem minime dubium est, quin hic locus non ita, ut in libris legitur, a poeta scriptus sit. Meditanti, quomodo poetae manus restitui possit, in mentem mihi venit: „captivo tegmine", quae coniectura multum habet, qua commendetur. Primum traditae lectionis formam non nimis deserit, tum sensum efficit, qui toto verborum conexui optime convenit. Captivo enim tegmine idem significatur, quod postea v. 407 verbis: „velamine Poeno" sc. vestis deformis, qua indutus Regulus, superior Romanorum consul, popularibus suis miserrimum adspectum praebebat. Tali ratione etiam seq. vers. verba „et invidiam caelo divisque ferebat", antea non satis facilia ad intelligendum plane dilucida fiunt. Poeta enim hoc dicere voluisse mihi videtur: Regulus, cum media in superborum

Poenorum turba deformi captivorum habitu indutus ingrederetur, efficiebat, ut omnium odium converteretur in deos, „qui tantae fidei et virtutis virum tam indigne tractari paterentur." Illud quoque mentione dignum putem, quod verba „captivo tegmine saeptus" eleganter proxime praecedentibus verbis „superba Poenorum turba" opposita sunt.

Quod in coniectura mea vocabulum „saeptus" eodem fere modo positum est, quo „indutus" aut „vestitus," haec illius verbi significatio inusitata quidem est, sed confirmatur verbis Ennianis (Ribbeck, Trag. Rom. fragm. 285 et 287): „Regnum reliqui saeptus mendici stola" et „Caedem caveo cum vestitu, squalida saeptus stola." Quae duo Enniana exempla ad corroborandum meum propositum eo maiorem me iudice vim habent, cum Silium in carmine scribendo Ennium ante oculos habuisse multaque ex eius sermone sibi assumpsisse verisimillimum sit. De significatione vocis „tegmen", cfr. loci, quales sunt: Ov. Met. XIV, 166: „Jam suus, et spinis conserto tegmine nullis, fatur Achaemenides:" Cic. Tusc. V, 32, 90 „mihi amictus est Scythicum tegumen" aliique.

Lib. VI, vv. 609—611.

Romanis acerbissima illa pugna ad lacum Trasimennum devictis, cum iam Hannibal in Romae muros „victricia signa" ferre pararet, Juppiter in Albano monte sedens urbem ad interitum paene vergentem servare constituit fulmineque magno cum tonitru incusso Poeno tantum terrorem iniecit, ut a consilio Romae oppugnandae desisteret. Simul hoc Jovis signo Romani, ut summum imperium ad Qu. Fabium Maximum Cunctatorem deferrent, impulsi sunt, id quod a poeta his verbis exprimitur:

„Nec Poenum avertisse satis; dat numine magno
Aeneadis mentem, gremio deponere tuto
Romuleam tandem Fabioque salutis habenas
Credere ductori."

Sic versus in omnibus codicibus exstant, sed hac scriptura non intacta atque integra poetae verba reddi liquide patet, neque ullus, nisi fallor, vir doctus auctoritate sua eam confirmare conatus est. Jam satis multi diversique emendandi conatus facti sunt, sed nullus ab omni parte prosper esse mihi videtur. Ut taceam de talibus lectionibus pro „tandem“ — quo in vocabulo plurimi interpretes vitium latere opinabantur — propositis, quales sunt: „lauream“, „cladem“, „molem“, „volucrem“ (c. e. aquilam imperii Romani insigne), „causam“, „famam“, „sortem“, quae omnes solido librorum fundamento parum nituntur praetereaque magna ex parte malam sententiam efficiunt, primam commemoro Heinsii coniecturam „laudem“ „gloriam“. Quae scriptura probatur Ernestio eique apte ad Fabium spectare videtur „quatenus is virtute et prudentia sua eam laudem conservaturus sit.“ Sed ego prorsus aliter sentio. Ut enim ex v. 595 seqq. verbis: „Jovis illa ruenti Ausoniae atque Italis tempus protendere regnis, Cura fuit“ clare apparet, Juppiter eo tantum consilio Romanos impulit, ut Fabium dictatorem dicerent, ut Roma ab instante interitu servaretur, non ut pristina Romanorum gloria cladibus ad Ticinum, Trebiam, lacum Trasimennum acceptis valde infirmata restitueretur, quam ob rem „laudem“, quamvis editae lectioni simile sit, hoc loco ineptum est. Neque magis sensui satisfacit Bothii „Romam illam“, ut significetur nostrum „jenes berühmte, sonst so mächtige Rom.“ Accedit quod, quomodo ex verbis „Romam illam“ haud ita usitatum neque satis simile adiectivum „Romuleam“ nasci potuerit, non facile perspicitur. Bauero placuit scribere „sedem“, quod ad verborum cohaerentiam optime sane quadrat, sed nimis a codicum scriptura recedit, quam ut a poeta ipso profecta esse existimari possit. Alteram emendandi rationem Drakenb. adhibuit, pro „mentem“ „gentem“ ponens et priorem enuntiati distinctionem mutans, ut verba ita legantur:

„ . . . . dat numine magno
Aeneadis, gentem gremio deponere tuto
Romuleam tandem . . . .

Eundem in modum — quod ad sententiam quidem spectat — Lefeburius et Ernestius rem expedire studuerunt, sed hi verborum „tandem“ et „gentem“ sede mutata „tandem gremio deponere tuto Romuleam gentem“ scripserunt. Sed haec scriptura sine dubio respuenda est, cum nisi contra omnes tamen contra omnes meliores codices prior verborum ordo inversus sit. Ut ad Drakenborchii coniecturam recurramus, Ernestius totum verborum sensum ita explicat: „Inspirat hoc Juppiter Romanis ut Deus, ut Romanam gentem h. e. copias suas tandem aliquando „tuto gremio deponant etc.“ Non male! Neque minime dubitarem huic leni mutationi assentiri, si revera verba „dat Aeneadis“ id significarent, quod Ernestius et Lefeburius iis intelligi volunt, sc. „J. inspirabat Romanis“ aut „ita fecit, ut Romani etc.“ Sed hanc notionem in vocabulo „dare“ inesse, praefracte nego, accurate inspectis plurimis locis, ubi verbum „dare“ cum infinitivo constructum est, quos Schmidtius,[1] Schinkelius,[2] Draegerus congesserunt. Omnibus enim his locis „dare“ eodem sensu usurpatum est, quo verba „concedere, permittere, potestatem dare“, quam significationem nostro loco non convenire in aperto est. Qua de causa Drakenborchii emendandi conatus vanus atque irritus est. Jam meam ipsius sententiam proferam. Ego quoque cum plurimis interpretibus nihil aliud corruptum puto, nisi vocem „tandem“. Pro hac simplicissimum mihi videbatur legere: „iam rem“, ut hic sensus fiat: Juppiter Romanis mentem dedit h. e. impulit eos, ut iam i. e. tandem Romanam rem (sc. publicam) tuto gremio deponerent. Hoc optime dici de Fabio Cunctatore, quem Ennius praedicat notissimo illo versu: „Unus homo nobis cunctando restituit rem“, quae verba fortasse Silio scribenti ante oculos obversata sint, quis est qui neget? (cfr. etiam X, 282 „rerum Fabio tradantur habenae.“ Atque etiam discrepantia traditae lectionis „tan-

[1] Schmidtius, l. l.

[2] Schinkelius, l. l. p. 73.

[3] Draeger, Historische Syntax der lateinischen Sprache. tom. II. p. 349.

dem“ et coniecturae meae minima est; litterae „i“ et „t“ in antiquis libris simillimae etiam alibi saepe permixtae sunt, quo errore commisso facile hoc loco fieri poterat, ut socors librarius ex „tam rem“ „tandem“ legeret. Si cui denique propositum meum non placet propter duritatem metri, cum duae eaedem fere syllabae „Romuleám iam“ deinceps sequantur, is memor sit, Silium non esse elegantem atque perpolitum versificatorem, similesque metri duritias non nimis raras esse. cfr. velim — ut unumquidem exemplum afferam. — l. IX. v. 372 „vitám iam.“

Lib. VI, v. 648 seqq.

Post proelium ad Trasimennum factum Hannibal „turbatus Iove et exutus spe moenia Romae pulsandi“ (v. 642) avertit iter in Umbriam et

„tum Palladios se fundit in agros
Picenum dives praedae atque errantibus armis,
Quo spolia invitant, transfert populantia signa;“

Vocabulum „Picenum“ librorum consensu traditum ab editoribus, nisi fallor, genitivus pro „Picenorum“ = der Picener pendens aut a verbis „Palladios agros“ aut a substantivo „praedae“ intellegitur. Sed mirum in modum falluntur viri docti, quod incolae Piceni „Picentes“ dicuntur, cum „Picenus“ adiectivum sit. Quod formae atque significationis discrimen non solum lexicis evincitur, sed etiam clare elucet ex aliis Silianis locis, qui sunt: V, 208 „Picentum agmina“ X, 132: „Picentum acies“ IX, 273 „Picentis i. e. VIII, 425: ubi adiectivum positum est „Picenae telluris.“ Hac falsa vocabuli „Picenum“ explicatione factum est, ut verba „dives praedae“ ad Hannibalem referrentur. Sed tali ratione illa verba, etiamsi cum Livineio pro „Picenum“ „Picentum“ scriberetur, minime explanari posse, demonstraturum me esse spero. In verbis „dives praedae — si de Hannibale dicta esse putas — primum cogitas praedam, quam Hannibal forte in itinere per Umbriam facto rapuerat,

Sed huic interpretationi valde repugnant verba, quae certe Silius scribens ante oculos habebat, Livii (XXII 9, 3): „in agrum Picenum avertit iter non copia solum omnis generis frugum abundantem, sed refertum praeda, quam effuse avidi atque egentes rapiebant.“ Hannibalis milites Livius hic dicit egentes, quam ob rem Hannibal non „dives praedae“ nominari potest. Ernestius ad defendendum „dives praedae“ his verbis utitur: „Nempe qui se primum fundit in agros populandi et praedandi causa, nondum d i v e s est praedae, si subtiliter disputare velimus. Sed has iudico argutias esse, quas non facile ferunt poetae.“ Quomodo Ernestius locum accipi velit, Rupertius clarius ita exprimit: „consequens etiam pro antecedenti passim ponitur.“ Sane hoc fit, sed „dives praedae“ nullo modo ita explicari posse, si hunc adiectivorum usum propius perspexerimus, clare intelligemus. Primum enim, ut adiectivum obiecto non subiecto attributum sit, postulatur, tum id, quod adiectivo expressum est, enuntiati verbo aut alio enuntiati membro efficiatur, necesse est. E. g. cfr. Verg. Aen. I, 69 s u b m e r s a s obrue puppes i. e. obrue puppes, ut submergantur. Plura exempla desideranti Kühner[1] magnum numerum suppeditabit. Lefeburius pro „dives“, „dites“ coniectavit. Ac ne hac quidem coniectura quidquam efficitur, nisi cum Livineio pro „Picenum“ „Picentum“ reposuerimus. Valde autem cavebimus, ne quid in traditis verbis mutemus, cum haec optime se habeant, dummodo post „agros“ comma ponatur. „Picenum“ enim hoc loco accusativus est, significans Picenum provinciam, quo referendum est „dives praedae“ et haec verba „Picenum dives praedae“ appositionis quae vocatur forma, cum antecedentis versus verbis „Palladios agros“ coniungenda sunt. Si ita explicantur verba, „dives praedae“ optime quadrare ad Livianum illud: „refertum praedae“, ut loco, quem modo laudavi „Picenus ager“ dicitur, nemo neget. Adiectivo „dives“ sine substantivo nomini proprio

---

[1] R. Kühner, Ausführliche Grammatik der lateinischen Sprache. T. II. p. 1. § 64.

„Picenum“ adiuncto offendere non licet, cum exempla similis poetici usus apud Silium passim deprehendantur. cfr. VII, 160 „arva uberis Falerni“ VII, 210 „dives Tmolus,“ multaque alia. Postremum memoro, agros Piceni apte a poeta „Palladios“ dictos esse, cum feracissimi essent olivarum, quam arborem Palladi sacram fuisse nota res est. cfr. Plin. hist. nat. XV, 3: „In ipsa Italia caeteris olivis praeferuntur Picenae et Sidicinae.“

Lib. VII, vv. 409—412.

„Ecce autem flatu classis Phoenissa secundo,
Litora Caietae Laestrygoniosque recessus
Sulcabat rostris portusque intrarat apertos,
Ac totus multo spumabat remige pontus“ —

Propter imperfecta „sulcabat“ et „spumabat“ Lefeburius et van Veenius pro „intrarat“, quam plusquamperfecti formam omnes codices testantur, „intrabat“ rescribi volebant. Sed librorum scriptura „intrarat“ servanda est, cum plusquamperfectum hic imperfecti vicibus fungatur, ut aeque „afflarat“ in l. I, 576 seqq.: „Pellebat somnos Tithoni roscida coniux, Ac rutilus primis sonipes hinnitibus altos afflarat montis roseasque movebat habenas“, qui locus nostro tam similis est, quam ovum ovo. Qua in discrepantia legum grammaticarum nihil insolens inveniri potest, cum ut in multis aliis ita etiam in usu temporum Silium multum sibi indulsisse, frequentibus exemplis, quae Verres congessit, satis confirmetur.

Lib. VII, v. 536—537.

Quasi praeteriens commemoro in verbis: „Atque ea Cunctator pensabat ab aggere valli, Perlustrans campos oculis, ...“ in omnibus editionibus veram interpunctionem adhuc nondum

---

[1] P. Verres: De Tiberii Silii Italici Punicis et Italici Iliade latina quaestiones grammaticae et metricae. Mon. 1888 (p. 17 seqq.)

restitutam esse. Verba „ab aggere valli“ enim ab editoribus a sequentibus verbis „perlustrans campos“ oculis commate dirimuntur, quamquam haec verba necesse inter se coniungenda esse. Qua de causa vulgata distinctione post „valli“ sublata post vocabulum „pensabat“ comma ponendum est.

Lib. VIII, vv. 338—340.

„. . . . . itque superbus
Tantum non strictis mucronibus; ulla retardet
Ne pugnas mora, dum vagina ducitur ensis.“

Quibus verbis ut proxime praecedentibus versibus Aemilius Paulus consul amara cum irrisione temerariam pugnandi cupiditatem Terentii Varronis collegae describit. Post verba: „itque — mucronibus“ in editionibus a Drakenborchio et Ernestio curatis semicolon ponitur, cum verborum conexu, ut primo conspectu cognoscitur, comma exigatur, quam veram interpunctionem iam Rupertius restituit. Quare, cur Bauerus plane falsam pristinam distinctionem reposuerit, minime assequor, idque eo magis miror, quod vir doctus in praefationis tomi I editionis p. XI, in verborum distinctione, cum summa lex sententiarum perspicuitas sibi fuisset, fortasse se nimium fuisse contendit.

Eundem in modum, quo hoc loco, Bauerus peccavit in eiusdem libri v. 477 et duobus seqq. — qui deprompti sunt ex catalogo populorum Romanorum, qui pugnae Cannensi interfuerunt:

„Affuit . . . .
. . . . et, antiquus Romanis moenibus horror,
Clusinum vulgus; cum, Porsena magne, iubebas
Nec quicquam pulsos Romae imperitare Superbos.“

cum Drakenborchio et Ernestio post „vulgus“ graviter interpungens, quamquam verba: „cum, Porsena . . . imperitare Superbos“ cum praecedentibus verbis artissime cohaerere luce clarius est. Etiam hic vera interpunctio, quae est comma, iam a Rupertio restituta est.

Lib. VIII, vv. 463—465.

„Ductor Piso viros spernaces mortis agebat,
Ora puer pulcherque habitum, sed corde sagaci
Aequabat senium atque astu superaverat annos."

Ex quo Modius ex cod. Coloniensi lectionem „ora puer pulcherque habitum"[1] protulit, haec verba in omnes notas editiones recepta sunt, cum antea libri impressi consentientes scripturam „ore puer puerique habitu" exhiberent. Sed quomodo viri docti exceptis Burmanno, et qui ab eius coniectura stabant, Lefeburio et Drakenborchio verba „pulcherque habitum" intacta existimare potuerint, ego omnino comprehendere nequeo. Cum poetam enim nihil aliud dicere velle manifestum sit, nisi Pisonem aetate quidem puerum i. e. adulescentem, sed prudentia atque consilio senem fuisse, quid, quaeso, in hoc contextu „pulcherque habitum" sibi vult? Haec dicta, sive „habitum" speciem corporis, sive vestitum, ut Modio, Burmanno, Drakenborchio placuisse videtur, interpretaris, neque sensu ad praecedentia verba „ora puer" bene se applicant, neque, quamquam necesse exspectes, sequentibus verbis opposita sunt. Quare nisi forte tam ineptam locutionem poetae imputare audes, aliter hoc loco a Silio scriptum esse iudicandum erit. Ceterum non in omnibus libris ita legitur; duo deteriores Sangallensis apographi l. Oxoniensis et l. Vaticanus praebent „puerque habitu." Quae scriptura bono quidem sensu valde commendatur, sed adversum non apta est. Jam adeamus ad coniecturam Burmanni, cui legere placuit: „ora puer; puerosque (vel.: puerumque) habitu, sed corde sagaci etc." „ut dicat, — haec sunt Drakverba — Pisonem vestitu et ornatu pueros, sed mente et prudentia senes rettulisse". Quo Burmanni proposito vix quidquam insulsius excogitari potest. Ap-

[1] Ita verba in Laurentiano et Florentino quoque exstant, praeterquam quod pro „habitum" „habitu" legitur.

tissima hoc loco esse mihi videntur verba, quibus Modius alio loco, quo dicit de vulgata lectione „ore puer puerique habitu“ usus est: „Malam rem, ut pueri habitu in aciem descenderit Piso ille, quem ait poeta aetate adhuc puerum, sed maturitate animi senem fuisse.“ Quanto plus probabilitatis habet lectio ab Italo quodam profecta, quae — ut iam supra memoravi — ante Modium in omnibus editionibus exstabat: „ore puer puerique habitu“ Modius sane „puerique habitu“ reiecit, sed „habitus“ plane falso „vestitum“ intellexit, cum idem esse quod „speciem corporis“ liquide pateat. Aliam tamen causam habeo, cur in hac quoque coniectura non acquiescendum esse iudicem. Offendo enim in nudo ablativo „(puerique) habitu“, qui quomodo apte explicari possit, nescio. — Lenissima autem mutatione in verbis „puerique habitu“ facta, locutio manuscriptorum lectioni haud ita dissimilis exsistit, quae et sensu et verborum forma ita satisfacit, ut non indigna esse mihi videatur, quae Silio tribuatur. Scribo enim: „ora puer puer inque habitum (= puerque in habitum) quod idem esse volo, quod „puerque habitu“ germanice „und ein Knabe hinsichtlich der Gestalt, oder der äusseren Erscheinung.“ De hac praepositionis „in“ constructae cum accusativo vi cfr., quae a Verre l. l. in capite „De usu praepositionum“ sub voce „in“ (pag. 35) dicta sunt. Hic affert ex Punicis haec duo exempla: XI, 504 „Superis in vota secundis“ II, 498 „fecundum in fraudes hominum genus . . .“ Duo vocabula „ora“ et „habitum“ q. e. „speciem corporis“ ad indicandam teneram Pisonis aetatem aptissime inter se coniuncta esse, cum „ora“ pertineat ad vultum nondum barbatum, habitus intelligendus sit de iuvenili nondum satis firmato corpore praecipueque de teneris membris, quis est qui infitietur? Ad commendandam coniecturam meam id quoque memoro, quod geminatio substantivi „puer“ optime se habet, cum ita verba „ora puer puer inque habitum“ eo acrius sequentibus verbis opponantur. Postremum scriptura a me prolata non tantopere a traditae ductibus abhorret, ut, quomodo vitium nasci potuerit, intelligi nequeat.

Lib. IX, 106 seqq.

„Verum ubi victorem iuvenili robore cursus
Attulit, et nobis fulsit lux tristis ab armis,
Fraternusque procul, luna prodente, retexis
Ante oculos sese et radiavit comminus umbo,“

Versibus aliquatenus diligenter inspectis prorsus non dubium esse potest, quin comma, quod nunc in omnibus editionibus post „procul“ est, delendum sit, cum „procul“ cum verbis „luna prodente“ iungi necessarium sit. Ut nunc verba distincta sunt, adverbia „procul“ et „comminus“ plane repugnant inter se.

Lib. X, vv. 32—35.

„ . . . . Labienus et Ocres
Sternuntur leto atque Opiter, quos Setia colle
Vitifero, celsis Labienum Cingula saxa
Miserunt muris . . . .“

Si haec verba ita, ut omnes editores secutus modo feci, distinguis, versus gravi incommodo laborant, quod adhuc a nullo viro docto animadversum videtur. Pronomen relativum „quos“ enim non, ut linguae latinae praeceptis grammaticis desideratur, ad omnes tres, qui antea commemorati sunt, milites Romanos, sed ad Ocrem et Opitrum tantum referendum est verbaque „celsis Labienum . . . . miserunt muris“ nullo modo cum antecedentibus verbis cohaerent. Quae verborum difficultates facillime removeri mihi videntur, si comma, quod nunc in omnibus libris impressis post „Opiter“ exstat, in punctum mutatur et pro „quos“ „hos“ scribitur. Tunc enim „hos“ spectat ad nomina duo postremo loco memorata „Ocres“ atque „Opiter,“ cum Labieni nomen pro pronomime „illum,“ quod post „hos“

exspectatur, repetitum sit. Simul hoc loco alter error, in quem Ernestium et Rupertium incidisse video, refutandus mihi est. Duo enim viri docti tres nominatos milites Romanos, Labienum, Ocrem, Opitrum, fratres fuisse contendunt, cui sententiae vehementer repugnat, quod Silius Ocrem et Opitrum Setia, ex Latii urbe, Labienum contra ex Cingulis in Piceno sitis collibus oriundos facit. Praeterea Silius, si tres milites fratres fuissent, certe clarius hoc expressisset. Cur Silius autem tres Romanos milites una dixerit, facile perspicitur; tres enim milites eodem temporis momento sed diversis vulneribus (cfr. vv. 35, 36: „iunxit fera tempora leti Sidonius non consimili discrimine miles) mortem occubuerunt.

Lib. X, v. 99.

„Unanima inde phalanx . . . . . .
Postquam hominum satiata necem . . . .“

Perperam Bauerus codicum scripturam „necem“ ab omnibus reliquis editoribus reiectam restituit, cum accusativus Graecus, qualis esset „necem“ — ad significandam scilicet rem, qua quisque satiatus est — nullo modo ferendus sit. Accusativus Graecus enim pro ablativo limitationis tantum poni potest, sed hic exspectas ablativum causae. Quare cum Livineio pro „necem“ „nece est,“ quod in vetustis manuscriptis similiter ac tradita lectio scribebatur, legendum est, quae coniectura iam in tres notissimas editiones recepta est.

Lib. X, v. 256 seqq.

„Umbraene Ausoniae rediviva bella retractant
Post obitum dextra?“

Ut Heinsio et Lefeburio ita mihi quoque „rediviva“ corruptelae suspicionem movit. „Redivivus“ enim — Heinsius et

Lefeburius, cur hoc vocabulum offensioni sit, tacent — plerumque de vetere struendi materia usurpatur et tum significat idem, quod „ex vetusto renovatus" germanice „wieder aufgefrischt, schon einmal verwendet" (cfr. Cic. Verr. II, 1, 147 148, „lapis redivivus" Vitruv. VII, 1, 3 „rudus redivivus", Catull XVII, 4 „assulae redivivae") cum eo sensu, qui hic solus aptus est, germanice: „wieder auflebend" rarissime idque apud scriptores sub latinae linguae exitum demum praecipueque apud scriptores ecclesiasticos legatur (cfr. Prud. cath. III, 204: „Christus redivivus.")

Qua de causa, quin „recidivus" ab Heinsio prolatum et a Lefeburio editioni suae illatum, rescribendum sit, non dubito, praesertim cum haec duo simillima vocabula ubique fere in manuscriptis a librariis non satis diligentibus confusa sint (cfr. Drak. notam lib. I, v. 106 additam). Accedit quod eadem vox apud Silium (l. I, 106), deprehenditur „gens recidiva Phrygum" = das wiedererstehende Volk der Phryger), quae locutio sine dubio imitatio est Vergiliani: „recidiva Pergama" = das wiederauflebende, neu erbaute Pergamum), quod tribus locis exstat. (Verg. Aen. IV, 344. VII, 322. X, 58).

Lib. X, vv. 473—475.

„. . . . . quinam ille sinistrae
Depugnet morti iuvenis, nomenque decusque
Erogitat —"

Sermo est de Cloelio, milite quodam Romano, in pugna Cannensi perempto, cuius „nomenque decusque" Hannibal ex Cinna, qui e castris Romanis ad Poenos profugerat, quaerit. Paulo post narratio generis Cloelii, a Cloelia virgine ducti huiusque eximii facti sequitur.

Num „decusque" genuina lectio sit, magnopere dubito, cum a Cinna Cloelii gloriae nullo modo mentio fiat neque, cur Hannibal „decus" hostis plane ei incogniti rogaverit, perspiciatur.

Quare potius legerim „genusque“, quod poetam scripsisse verisimillimum esse mihi videtur collato v. 502 „huic est et genus et clara memorandum virgine nomen,“ quibus verbis breve responsum Hannibalis interrogantis continetur. Vocabula „nomen“ et „genus“ etiam alibi iuxta posita sunt. cfr. Verg. Aen. XII, 225.

Priusquam observationibus meis finem faciam, ex magno numero coniecturarum atque emendationum ad libros V—X prolatarum eas enumerare mihi liceat, quae praeter corrigendi conatus, quos iam in commentatione ipsa commemoravi et novis, ut spes me tenet, argumentis fulsi, maxime commendandae esse mihi videntur. Sunt hae:

l. V. 102: timore (Rupertius). 192: exiret (van Veenius) cfr. Verg. Georg. IV, 67. 220: furvam (Bentleius et Schraderus). 238: geminique corusca (Lefeburius prob. van Veenio) quod et ego conieceram. 284: lepus orbe citato (Barthius). 250: campis pro regnis (Dryanderus et Thilo). 573: aspexit (Burmannus prob. van Veenio). 624: fontibus (Heinsius et Schraderus).

l. VI, 360 etc.: serum (Ernestius) quod et mihi in mentem venit. 363: ut plaudant (sc. remi) (Rup. et. van Veenius).

l. VII, 18: tecta pro regna (Heinsius prob. Drakenborchio, Lefeburio, Ernestio). 33: Hic ardens exire malis et rumpere vitam (Thilo). De hac verbi exeundi significatione cfr. XI, 188, Verg. Ecl. I, 41: servitio exire i. e. liberari. 139: passim it Bothius) quod probavit van Veenius cfr. Verg. Aen. VIII, 726. 209: id monti decus (Modius). 269: aegro (Heinsius) quod defendit Thilo. 435: evolvens (Heinsius), quod van Veenius (Mnemosyne XIX, p. 199) multis exemplis illustrat. 459: nam (Blassius) 724: tarde pro tandem (Bothius) cfr. Ov. Met. IV, 91. Cat. 64, 272.

l. VIII, 51: spes abruptae; mediis penetralibus (Heinsius) quod tuetur van Veenius collatis Verg. Aen. IV, 494, 504, 645, quibus exemplis adde Verg. Aen. II, 512.

60: ingemuit (Heinsius) quod ego quoque coniectavi.

171: ah (Heinsius). 247: at (Bentleius et van Veenius). 266: ac (Heinsius). 377: e celebri (Heinsius).

448: inuant pro lavant, quod verbum in versu quoque 450 exstat (Rupertius). 512: quemque tulere (van Veenius). 549: gestarant (Drakenborchius) nisi forte poetam pro „domo“ „domi“ scripsisse putas. 576 77: qui — recensebat (Bothius et Blassius), quod ego quoque conieci.

l. IX, v. 224: Adyrmachidae, et pariter gens accola Nili (Drakenborchius) cfr. III, 265 268. 314: Ac prius . . . quam (Gronovius et Burmannus) cfr. exempla a Rupertio in nota h. loci laudata. 350: Speremusne (Blassius) quod ego quoque conieci. 600: ductor (Barthius et Heinsius). 602: coniectis (Heinsius).

l. X, 15: densens (Heinsius). 187: doctus (Heinsius et Bothius). 243: impatiens pro „patiens“ (Heinsius). — fremebundus (Gronovius et Heinsius) cfr. frequentia exempla a Drakenb. huic loco adscripta. 247: Libyes, super ipse pro vulgata scribendi ratione: Libyes super, ipse (Bothius). De hac vocabuli „super“ notione cfr. Verg. Aen. VII, 462, XI, 226. 304: Celta (Burmannus et Lefeburius). 333: huc (Heinsius) 463: in ore (Heinsius) quod mihi quoque in mentem venit. 529: icta (Gronovius et Heinsius), idem ego. cfr. Verg. Aen. VI, 180.

THESES CONTROVERSAE

QUAS UNA CUM

COMMENTATIONE PHILOLOGICA

QUAE INSCRIBITUR:

OBSERVATIONES CRITICAE ET EXEGETICAE AD SILII ITALICI PUNICORUM L. V—X PERTINENTES

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA
MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

D. XVII MENSIS JUNII A. MDCCCLXCIII HORA XII

IN PUBLICO DEFENDET

FRANZISCUS HILFF
GUESTFALUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
FRANCISCUS UELENTRUP, CAND. PROB.
JULIUS WEBER, CAND. PROB.
ALOYSIUS BÖMER, DR. PHIL.

MOMASTERII GUESTF.
EX TYPOGRAPHIA IOANNIS BREDT.
MDCCCXCIII.

Theses.

I. In Sil. Punicorum l. VIII, v. 20 pro codicum lectione „siti“ cum D. Heinsio „situ“ scribi volo.

II. Ibidem l. X, v. 67 Bauerus librorum scripturam „sinit“ a plurimis praecedentibus editoribus iam improbatam sine iusta causa restituit.

III. In Soph. Electrae v. 1147 pro „*οἱ κατ᾽ οἶκον*“ lego „*αἱ κ. ο.*“

IV. In Soph. Oed. Col. v. 1466 pro „*οὐρανία*“ „*οὐρανίς*“ legendum propono.

V. In Soph. Philoct. v. 1383 pro „*ὠφελούμενος*“ poeta „*ὠφελήσιμος*“ forsitan scripserit.

VI. In carminis Burani, cuius initium est: „Utar contra vitia“ (Schmeller Carm. Bur. N. XIX) stropha 17 scribenda Schmeller nimis a codice suo recessisse mihi videtur. Equidem hanc stropham sic scribere non dubito.

„Praedatur marsupium
Singulis paulatim,
Magna, maior, maxima
Praeda fit gradatim.
Quid narrarem singulos?
Colligam summatim:
Omnes bursas strangulant
Et expilant statim.“

VII. In eiusdem carminis stropha 18 et 19 codicis lectiones ad unam omnes servandas esse contra Schmellerum contenderim.

Vita.

Natus sum Franciscus Hilff Monasterii Guestfalorum a. d. IV. Kal. Apriles anni huius saeculi LXVII, patre Francisco, matre Elisabetha e gente Kiküm, quos bona adhuc valetudine uti magnopere laetor. Fidei adscriptus sum catholicae. Primordiis litterarum imbutus per novem annos gymnasium Monasteriense frequentavi, quod vere a. h. s. LXXXVII testimonio quod vocant maturitatis instructus reliqui. Eiusdem anni mense Aprili in numerum civium almae litterarum academiae Monasteriensis receptus per octies senos menses hic, per semel senos menses Berolini studiis philologicis operam navavi. Per bis senos menses seminarii regii philologici Monasteriensis sodalis ordinarius fui. Monasterii scholas frequentavi V. V. D. D. Langen, Stahl, Storck, Hagemann, Nordhoff, Kappes, Jostes; Berolini me docuerunt V. V. D. D. Kirchhoff, Vahlen, E. Schmidt, Curtius.

Omnibus viris, qui studia mea moderati sunt, praecipue vero Langeno, Stahlio, Nordhoffio, optime de me meritis, quae debeo, semper servabo grata memoria.